



Wf
740

28
**B. F.
FERALIA
DIVIS MANIBUS
SERENISSIMI AC CELSIS SIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI,
Dn. FRIDERICI
VVLHELMI,
DUCIS SAXONIÆ, JULIAE, CLI-
VIÆ AC MONTIUM, LANDGRAVII THURIN-
GIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, PRINCIPALI DI-
GNITATE COMITIS HENNEBERGÆ, COMITIS
MARCAE ET RAVENSBERGÆ, DYNASTÆ RA-
VENSTEINIÆ, RECORDATIONIS
FELICISSIMÆ,
MUSARUM SCHOLARUMQUE STA-
TORIS ET NUTRITORIS MUNIFICEN-
TISSIMI,
X. KL. MAJI
QUI DIES EST SERENITAT. EI. E MORTUALIS,
A SCHOLA ALTBURGENSI
CELEBRANDA
INTIMAT
M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
RECTOR.**

ALTBURGI,
APUD GOTHOFREDIUM RICHTERUM, TYPO-
GRAPHUM DUCALEM.



1,848.

24.

L. · B.

S.



Arios olim modos defunctorum memoriam conservandi tuisse adhibitos, cana docet Antiquitas. Quidam enim ludis publicis demortui nomen atq; facta posteritati commendabant, quales in Anchise parentis honorem Aeneam habuisse refert Virgilius l. v. Aen. Idem & de Græcis perhibet Isocrates, qui in ludis Panathenaicis eorum, qui pro patriâ occubuerunt, laudes decantare solebant. Sic & de Romanis constat, quod in Feralibus ludos instituerint, ut pluribus id exponunt J. Lipsius l. i. saturn. serm. c. 8. & eruditissimus Joh. Kirchmannus l. iv. de Funer. Rom. c. 9. Alii autem Mausoleis, Pyramibus, & sepulchris sumtuosissimis denatorum famam æternitati consecrabant, quod Aegyptiis potissimum usu venisse legimus. Adhæc nonnulli imagines statuasq; fato occumbentium ex metallo vel marmore confectas in publica collocabant loca, ne eorum interiret memoria: quâ ratione Rolandum ex Berthâ forore nepotem Carolus M. honoravit, ejusdem statuam metallo constantem in quædam Saxonie oppida ponendo. Nec defuerunt, qui in mortuorum honorem festos unoquoq; anno

A 2

no

no constituerunt dies; sicut Romani Græcorum legentes vestigia die nono & decimo mensis Februarii sua celebrabant Feralia, qvæ Iusta etiam & Parentalia salutantur, qvibus defunctorum manibus inferiis, epulis ac ludis fuit parentatum, ut fusius id aperiunt Rudolph. Hospinian. de origine Festorum f. 67. & Cl. Kirchmannus c. l. c. 2. Porro nonnulli monumenta defunctorū adire, eaq; coronis ac floribus ornare consverunt, in qvâ classe Græci & Romani reperiuntur, qui coronas laneas vel ex variis floribus contextas, quæ ερωπις vocabantur, & infulas, quas Tænias appellabant Romani, tumulo apponebant, liliisq; rosis, violis, amarantho & apio sepulchrum conspergebant: Qvos quoq; Christiani elapsis aliquot post Ecclesiæ primordia seculis sunt imitati; Ii enim die Martyrum natali (ita appellatur dies, qvò Martyres obierant) ad eorum accedebant sepulchra, eaq; diversi generis floribus decorabant, ut ex Ambrosii Oratione in obitum Imper. Valentiniiani, Hieronym. ad Pammachium, & Prudentio in Hymn. exeqv. patet. Sic & quidam lucernas ac lampades in Sepulchrum cippis suspenderunt, qvod ab Aegyptiis primò fuisse factitatum ex Herodoto probat Kirchmañ. c. l. c. 4. Ejus autem moris Romani felicissimi fuerunt æmuli, ut testatur Suetonius in vitâ Augusti c. 98. *Masgabæ, inquit, ante annum defuncti tumulum cum ex triclinio animadvertiset* (Augustus) *magnatumba, multisq; luminaribus freqventari.* Nec ab eodem ritu recesserunt Christiani, qui ad Martyrum tumbas cereos ac lampades accenderunt, ob id à Vigilantio reprehensi, ut

ut ex Paulino Nolano, Gregorio Turinensi,
& Johanne Damasceno licet videre. Erant
qvoq; qvi ad demortui sepulchrum bovem im-
molabant, qvod ipsum ad Miltiadis bustum in
Melissa Græci præstiterunt. Tandem non-
nulli defunctorum memoriam publicâ voce
perennitatiibant consecratum, qvod apud Ae-
gyptios, Judæos, Græcos, Romanos ac Ger-
manos in usu fuisse Historiarum & Antiquita-
tum comprobant scriptores. In Aegyptô ni-
mirū Regis defuncti vitam moresq; sacerdos in
altō suggestu cōstitutus recēsebat, teste Diod.
Siculo, l. 2. Bibl. c. 3. Sic apud Indos, referēte
Alex. ab Alexandro l. III. Gen. Dier. c. 7. multa
secula viguit mos, ut qvū homo moritur, pro fo-
ribus domus Magistratus, cui hoc munus im-
pendebat, ante actam vitam moresq; describat.
Græci qvoq; virorum illustrium & de Rep. be-
nè meritorum laudes in loco publico recita-
bant, ut de Atheniensibus id testatur Plato in
Menoxeno. De Romanis pleni sunt Historico-
rum libri, plenæ paginæ. Eo enim honore mac-
tati leguntur Brutus, primus post exactos Re-
ges Consul, Sylla, Cornelia Julii Cæsaris uxor,
Julius Cæsar, Augustus, Tiberius, Julia Augu-
sta, Livia Augusta & plurimi alii. De Germanis
jā audiemus. Verūm enim verò nō uno eodēq;
modo vitæ demortuorū ac gesta exponebātur;
Interdū enim hymni recitabātur ac carmina, ut
ad Martyrū sepulchra faciebant Christiani; Sic
& Germani Regum ac virorum clarorum bel-
la & actiones carminibus ac rythmis solebant
describere, eaq; in locis publicis & privatis ca-
nere, cujusmodi aliquot Imperator Carolus

A 3

M.

M. collegit, literisq; mādari curavit. Atheniēses
qvoq; in honorem Harmodii & Aristogitonis
carmina in vicis & cōpitis proferebat, qvorū
hoc erat initium Ἀρμόδιος Ἀριστογίτων τεθῆκας, i. e. neutiqvā in-
teriisti De Romanis idē testatur Cicero scribens
inter epulas funebres à singulis carmina esse re-
citata, qvæ laudes magnorū virorū complecte-
rentur. Interdum autem sermone libero de-
functis parentabatur, uti hujus rei egregium
nobis præbent testimonium Romani, ut &
Patres Ecclesiæ primitivæ, Eusebius, qvi de obi-
tu Valētiniani ac Theodosii Imperat. habuerūt
sermones; Hieronymus, cuius orationes Nepo-
tiano, Marcellæ, Paulæ, Licinio & Fabiolæ di-
ctæ prostant. Sic & hūc pertinent Basilii M.
Sermones funebres in funere fratris, Pulche-
riæ & Placillæ, ut & Gregorii Nazianzeni in me-
moriam Basili ac Cæsarii instituti. Ut nihil
dicam de Gregorii Nysseni orationibus. Sed
qvò meum dirigo arcum, dum in recensendis
defunctorum memoriā ad posteros propagan-
dimodis prolixior paulo fui, atq; par erat. Scili-
cet cùm dies hodiernus, qvem Deus omnibus,
det felicem, ejusmodi rei nobis reducat me-
moriam, qvæ largam lugendi plangendiq;
nobis suppeditat[o utinam non suppeditaret!]
materiam hoc ipsum scribendi officium
est susceptum. Neq; enim qvempiam
latere arbitror, die xxii. Aprilis anni elapsi
SERENISSIMUM AC CELSISSIMUM PRIN-
CIPEM AC DOMINUM, DOMINUM
FRIDERICUM WILHELMUM,
DUCEM SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
MON-

MONTIUM, COMITEM PROVINCIALEM
THURINGIÆ, COMITEM LIMITANEUM
MISNIÆ, PRINCIPEM HENNEBERGÆ, COMI-
TEM MARCÆ AC RAVENSBERGÆ, DYN-
ASTAM RAVENSTEINII, MEMORIÆ LAUDA-
TISS. PRINCIPEM AC DOMINUM NO-
STRUM QVONDAM CLEMENTISSIMUM,
Ecclesiæ ac Scholarum Tutanum, & Rei-
publicæ Statorem optimum, (de qvo illud
Spangenbergii judicium, qvod de Bertholdo
Comite Hennebergensi tulit, scitè possumus
dicere: Fuit expetitus summis, exoptatus
æqvalibus & dilectissimus subditis.) Natu-
ræ, ut erat necesse, placidè concessisse, reliquo
acerbo apud suos desiderio. Qvoniam ve-
rò tanti Principis virtutes, & illustria in Remp.
merita, ut & insignis erga Lyceum nostrum
munificentia jure qvodam optimo exigunt,
ut ab oblivione situq; vindicentur, licet per-
se illa sint majora & augustiora, qvam ut à
temporum injuria possint superari: En! Scho-
la nostra ex carceribus, qvibus hactenus
inclusa tenebatur, prorumpit, & ut pie-
tatem ac gratitudinem suam Optimo Nutri-
tori & Patrono exhibeat, qvam maximè est
sollicita. Qvâ autem ratione id ipsum exsol-
veret, dubia primò hæsitavit; Num enim
Iudis, Mausoleis & Sepulchris, num verò
publica voce anniversariam Seren. Principis
celebraret memoriam, invenire statim non
potuit: Tandem tamen re probè deliberata,
qvodq; sumptibus ferendis sit impar, qvi lu-
dis exhibendis, & Mausoleis ac sepulchris ex-
struēdis impendi debent, decrevit, ut in publi-
co

co Virorum eruditorum confessu vita, virtutes in usitatæ, ac præclara Seren. Principis Patris Patriæ indulgentissimi facta & merita debitis efferantur laudibus. Scholæ vero vices Juvenes aliquot sustinebunt pietatis, modestiæ ac industriæ laude conspicui, qvorum nomina, patriam ac materiam seqvens indicat Elenchus. Comparebunt scilicet Auditorum sese sistentes conspectui, & ~~anno 18 sozial~~ Latino declamabunt sermone,

I. ANDREAS Rose/ Ascaniensis Saxo, PROLOGUS, qvi de pietate Æneæ, qvam Anchisæ parenti defuncto præsttit, anniversariam ejus celebrando memoriam dicturus, & ad præsens institutum accommodaturus, Auditores ad audiendum, & perorantes ad dicendum invitabit.

II. JACOB ABRAHAM Börner/ Ronneburgensis exhibebit Seren. Principem ab Illustrissimis Majoribus ac Parentibus ortum natumqve.

III. JOH. CHRISTOPHORUS Eger/ Werdâ-Varisc. proponet Seren. Principem optimè educatum.

IV. DAVID Seiler/ Geithensis, Misn. repræsentabit Seren. Principem forma & staturâ præstantem.

V. JOH. HEINRICUS Ernst/ Rochlitzio-Misn, aget de Seren. Principe peregrinante.

VI. FRIDERICUS Zöllner/ Altenburgensis producet Ser. Principem ut militem optimum.

VII. EHRENFRIDUS Dür/ Mühlâ-Variscus commendabit Seren. Principem in ludis eqvestribus & arte vendandi excellentem.

VIII. CHRISTOPHORUS Schade/ Sultzâ-Thuringus loquetur de Seren. Principe Reip. admoto.

IX. JOH. CHRISTOPHORUS Hempel/ Altenburgensis laudabit Seren. Principem Rempubl. optime administrantem.

X. JO-

X. JOHANNES Schulze / Altenburgensis Seren. Principem Pium & Ecclesiarum fuisse Patronum docebit.

XI. MICHAEL Weber / Altenburgensis, Seren. Principem prudentiam fuisse insignem demonstrabit.

XII. TOBIAS Gruner / Altenburgensis, edisseret, quām Justus fuerit Seren. Princeps.

XIII. CHRISTIANUS Härtel / Altenburgensis, ob oculos ponet Ser. Principem Clementem.

XIV. GOTHOFREDUS Lehmann / Leisnicio-Mysus introducet Seren. Principem pacis amantem.

XV. JOH. CASPAR Angermann / Altenburgensis, verba faciet de Seren. Principe Liberali ac Munifico.

XVI. HEINRICUS Schmalz / Altenburgensis, recensabit, Seren. Principem fuisse Temperantem, Modestum, Commem, atqve Veracem.

XVII. GOTHOFREDUS MATHESIUS, Oderā-Mysn. Sereniss. Principem describet ut Maritum ac Parentem.

XIX. JOHANNES CRASSELIUS, Wernsdorfensis Mysn. Seren. Principem Consiliariis fidisqve Ministris fuisse præditum ostendet.

XIX. JOH. GEORGIUS Geher / Arnolds-gruna-Variscus, Ser. Principem magnum Musarum Scholarumq; exercitisse Meccenatem decantabit.

XX. CHRISTIANUS Schumann / Salfeldensis Thuringus proferet Ser. Principem ægrotantem & placide morientem.

XXI. CHRISTOPHORUS ERNESTUS Arnoldt / Altenburgensis, Seren. Principem fuisse Felicissimum dicet. Tandem &

XXII. JOHANNES Müller / Mühlâ-Varisc. EPILOGUS, qui omnes consolabitur subditos, & à luctu eorum animos avocabit, cum Serenissimi ac Celsissimi Tutores, Dominus JOHANNES
B GE-

GEORGIIUS II. Ele^tor Saxonie, & Burg-
gravius Magdeburgi, & Dominus MAURITIUS,
Postulatus Episcopatus Naumbur-
gensis & Cicensis Administrator, Duces Sa-
xoniæ, Juliæ, Cliviæ, ac Montium &c. Princi-
pes ac Domini nostri Clementissimi, optimè
& felicissimè Rempubl. administrent, qvos
ut sospitet DEUS bono Ecclesiæ ac Reipubl.
vovebit. Sic & subditos eriget, qvòd Se-
ren. Princeps, ^{in virtutibus suarum ac} terrarum hæredem, ac æmulum reliq-
uit felicissimum, SERENISSIMUM AC CELSIS-
SIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DO-
MINUM FRIDERICUM WILHEL-
MUM, DUCEM SAXONIÆ, JULIÆ, CLI-
VIÆ AC MONTANIÆ, PRINCIPEM AC DO-
MINUM NOSTRUM CLEMENTISSIMUM,
Principem Juventutis optimū ac subditorum
delitium, qvem DEUS in spem familiæ, de-
licias domus & materiā pulcherrimæ in majus
proficientis expectationis conservet, patriisq;
admoveat terris. Tandem gratias aget Audi-
toribus, Aetumq; funebrem claudet antiquo
ILICET.

Atq; hi sunt declamantes, hic est typus A-
etius nostri lugubris. Qvod supereft, Vos, Pa-
tronii ac Musagetæ honoratissimi, submissè, cō-
pello, ut hoc die & ad diem Jovis seqventis se-
ptimanæ, qvi erit 28. hujus mensis, freqventes
faventesq; confluatis, & Feralia vel anniversa-
riam Optimi Patris Patriæ memoriam nobis-
cum celebretis. Pluribus vestrum accessum stu-
diumq; non excitabo verbis, cum sua cuiq; pie-
tas

tas fatis stimuli ac incitamenti præbere pos-
se videatur; Ea siquidem Serenissimi Prin-
cipis, recordationis felicissimæ, in Rempubl.
& vos sunt merita, ut vel integros dies, ne-
dum unam horam meditationibus de ejus vita
impendere nullus, qvi sapit, dubitet. Va-
lete. P.P. d. XXII. April. A. C.

CIC LXX.



W. H. WEAVER

ULB Halle
004 975 502

3



V077

Wf
740

28
**B. F.
FERALIA
DIVIS MANIBUS
SERENISSIMI AC CELSISIMI PRIN-
CIPIS AC DOMINI,
Dn. FRID
VVILHE
DUCIS SAXONIAE
VIÆ AC MONTIUM, LAN-
GIÆ, MARCHIONIS MISN
GNITATE COMITIS HENN
MARCAE ET RAVENSBER
VENSTEINII, RECO
FELICISSI
MUSARUM SCHOLA
TORIS ET NUTRITORI
TISSIM
X. KL. M
QVI DIES EST SERENITAT
A SCHOLA ALTE
CELEBRA
INTIMA
M. PAULUS MARTINU
RECTO
ALTERN B
APUD GOTHOFREDIUM R
GRAPHUM D**



24.

1,848.